



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. 4. An inuidia, æmulatio, & nemesis sint vitia contraria dilectioni
proximi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

men ex obiecto peccatum veniale, & graue, & sæpe poterit esse morale ratione adiuncti periculi.

Tertia con-
clusio.

Obiectioni
occurritur.

5. Dico tertio. Merito hoc vitium inter septem capitalia numeratur, est enim radix multorum peccatorum, ita D. Thom. supra articulo 4. & alij communiter. Dices. Imò non generatur nisi post magnam consuetudinem peccandi. Respondetur, id verum esse de accidia consummata, & perfecta, tamen leuis quædam quasi inchoata accidia, facillime generatur, & hoc satis est ad vitium capitale, vt patet in vana gloria. Vide Gregor. lib. 31. moral. cap. 17. paulo post medium & Calsian. lib. 10. instituit.

SECTIO IV.

Utrum Inuidia, æmulatio, & Nemesi, sint vitia contraria, dilectioni proximi.

1. Tristitia de bono proximi varia, & multiplex est, alia orta ex odio, alia ex appetitu vindictæ, alia ex eo, quod bona proximi, vel mihi, vel aliis nocent: & de harum honestate, & turpitudine satis patet ex dictis. Præter hos modos inuenitur triplex modus tristitiæ de bonis proximi. Primus est, quando quis tristatur de bono alterius, quia ipse caret illo, & hæc est æmulatio ex Aristotele, secundo Rhetor. cap. 11. Et de hac dicendum est primo, non esse intrinsecè malum; quia ratio eius non est aliena commoditas, sed est propriæ carentiæ. Solum est aduertendum, hanc propriè habere locum in bonis externis, quæ minuuntur in vno, cum augentur in alio: & idèd sicut appetitus horum bonorum non est per se malus: ita neque tristitia de eorum carentia, atque adeo neque hæc æmulatio: quannis sine dubio malam habeat speciem. In bonis autem spiritualibus, quæ omnibus possunt esse communia, illa æmulatio potest esse bona, quia est præcipue de propria imperfectione ad aliorum perfectionem comparata. Nam de ipsa perfectione numquam potest esse bona tristitia. Vide Hieronym. ad Gal. 5. & Caietanum verbo *Æmulatio*.

2. Modus
Nemesis.

D. Thom.
negat.

1. Ratio hu-
ius opinio-
nis.

Secunda.

2. Secundò potest esse tristitia de bono alicuius solum: quia est indignus illo, quam supra Arist. vocauit nemesis: & de hac tristitia controuersum est, sit honesta nec ne? Nam D. Thomas quæst. 36. artic. 2. sentit esse prohibitam, & malam: primo quia in Scriptura reprehenditur Psal. 36. *Noli æmulari in malignantibus*. Secundò quia hæc temporalia bona, de quibus maxime potest esse tristitia, sunt quasi nihil comparatione æternorum. Tertio quia datur ex Dei providentia, cui videtur derogare hæc tristitia. In contrarium verò est, quia Aristot. capite illo 11. libro secundo, Rhetor. vocat hanc tristitiam iustam, & rationi consonam. Et Caietanus in illo artic. 2. ait, se non videre in hoc actu rationem peccati. Et fauet D. Thom. quæst. illa 36. artic. 3. ad 2. & artic. 4. Ad hæc, consentaneum est rationi velle dignis iusta præmia: ergo nolle indignis: ergo tristari si illa accipiant, hæc enim mutuo se consequuntur. Secundò quia quæ D. Thom. adducit, non vrgent, Scriptura enim non simpliciter damnat hanc tristitiam, sed prohibet, ne occasione eius moueamur ad imitandum inimicos iuxta illud eiusdem Psalmi, *Noli æmulari, vt maligneris*. Damnatur etiam hæc indignatio si referatur ad diuinam providentiam, quod tamè non semper videtur verum. Nam sicut fas est dolere de poenis iustorum, & in hoc non fit iniuria diuinæ providentiæ: ita similiter in proposito. Et ratio est, quia non semper tenemur conformari diuinæ providentiæ in voluto materiali. Quo exemplo etiam apparet nihil referre, vt temporalia bona non sint magni momenti, quia saltem aliquid boni habent, sicut eorum contraria habent aliquid mali: qua ratione licet tristari de illis, si æ-

cidant iustis hominibus. Et eadem ratione licet tristari de prosperitate malorum, si sit iniuriola bonis, & iustis. Circa hoc respondetur, in illo obiecto duo posse considerari, & materiale obiectum, scilicet indignum prosperari, & rationem dolendi de hoc obiecto. Si materiale obiectum spectemus, non dubium est, quin sub aliqua ratione honesta possit de illo esse tristitia, vt est illa ratio, quam modo dicebamus, nempe si inde sequitur detrimentum aliorum proximorum. Item certum est circa idem obiectum posse versari tristitiam prauam ex motu extrinsecò, vt ex odio. Difficultas verò est, si ratio talis tristitiæ sit sola dignitas proximi.

3. Dico secundò. Indignitatem proximi non esse sufficientem ad dolendum de bono illius. Primò quia tristitia de aliquo bono non potest esse per se honesta, nisi obiectum illud sit per se malum. Nam sicut nihil honestè amatur propter se, nisi honestum, ita neque è contrariò: sed indignum hominem habere bona temporalia, non est per se malum. Secundò quia non licet, huiusmodi proximo velle malum, nec dolere de illius bono: nam eiusdem rationis hæc sunt. Tertio, si aliqua ratio honesti hic esse potest, maxime iustitiæ vindictæ ratio, vel distributiue, vt Aristoteles insinuat. Sed hæc ratio, derogat ei providentiæ Dei: nam ponit in illo quandam iniustitiam, cum tamen Deus in temporalium bonorum, & malorum distributione non semper seruet iustitiæ distributiue rationem, quia hæc sunt infima bona quæ sæpe dantur in præmium alicuius operis boni, si quid tale est in huiusmodi hominibus: vel vt sint instrumenta motiua virtutum, vel propter aliquid alia occulta iudicia Dei, & similiter Deus in hac vita non punit peccata, neq; his bonis premia bona opera iustorum: ergo non est vlla honesta ratio ad huiusmodi tristitiam. Dices. Quam malitiam habet, & contra quam virtutem? Respondetur participare malitiam odij proximi, & interdum malitiam affectus nimij erga temporalia: si tamen non perueniat ad absolutum odium proximi, neq; sit contra providentiam Dei, raro erit peccatum mortale.

4. Tertia tristitia potest esse de bono proximi solo hoc titulo, quod illius excellentia deprimitur, & hæc est propria inuidia, quæ non dolet de excellentia proximi, quia propter illam ego aliquo bono caream, sed solum, quæ obscurat meam perfectionem, & idèd dixerunt Aristoteles, & Diuus Thomas secunda secundæ, quæstione trigesima sexta, articulo primo, ad secundum, inuidiam non esse inter multum dispares, sed fundari in æqualitate quadam, quia quando personæ sunt diversorum graduum excellentia vnius non apprehenditur, vt deprimens excellentiam alterius: quod facile tamen accidit inter æquales. Et hinc etiam fit, inuidiam oriri ex pusillanimitate cõiuncta cum superbia, superbia enim efficit appetitum inordinatum excellentiæ: pusillanimitas verò facit, vt excellentia alterius apprehendatur, vt nimium excedens, vel quæ habeatur in magna æstimatione.

5. Et de hac, Dico tertio, esse peccatum genere suo mortale, & capitale, charitati proximi contrarium. Prima pars patet, quia illa tristitia non oritur, ex aliqua ratione honesti, sed ex inordinato appetitu excellentiæ. Secunda etiam pars patet, quia hoc est vitium valde humanum, multorumque radix. Quæres, an sit peccatum vnius speciei, vel plurium. Respondetur posse esse plurium, sicut de odio dixi: nam sine dubio multo alterius rationis est inuidia, si sit de spiritualibus bonis, quam si de temporalibus. Tertia denique pars patet, quia ex genere suo peccatum hoc est contrarium præcepto charitatis, licet oriatur ex pusillanimitate. Sæpe enim accidit vnum vitium oriri ex vitio contrario vni virtuti, & tamen ipsum esse

contrarium alteri virtuti: deinde hoc peccatum facile inducit ad directum odium proximi: ergo inde facile malitiam inducet.

DISPUTATIO VII.

De precepto Eleemosynæ.

Eleemosynæ
dicitur

Eleemosynæ nomen à Græco vocabulo *ἐλεησίν*, ortum habuit: quod idem est, ac miseri. Vnde eleemosyna (vt communiter sumitur) est actus misericordiz, quo alienz proximi necessitati subuenitur, & rectè quidem, quanuis Augustinus in Enchiridio, cap. 76. Eleemosynam quocumque esse velit actum, quo suz ipsius necessitati quis subuenit. Est enim (inquit) Eleemosyna opus misericordie: *verisimè, dictum est. Miserere anime tue placens Deo.* Eccl. 18. capite trigesimo. De Eleemosyna, multa etiam præclara scripsit Sancti Patres, Cyprianus de opere, & Eleemosyna. Basilii Concione in illud. *Destruam horrea mea*, Lucæ 12. & concione ad diuites. Nazianzenus oratione de pauperum amore. Ambrosius libro primo de officiis capite trigesimo. Augustinus in Enchiridio à capite 69. Chrysostomus in libro de Eleemosyna. & alij quam plures quos luculenter congerit noster Canisius in opere Catechistico de Eleemosyna. Disputant enim de Eleemosyna Theologi cum Magistro in quarto, distinctione decima quinta, decima sexta, & quadragesima prima; cum Duo Thoma secunda secundæ, quæstione 32. Iurisperiti in Decretis 45. distinctione. Canone. Et qui. Et Canone Tria, & sequentibus, & distinctione 86. Canone. Non satis, & sequentibus. Scripsit ex Recentioribus de Eleemosyna, Ioannes Medina codicem vnum. Et Nauarrus in Canon. Quisquam distinctione 42. Et Canon. Si agamus, de penitentia distinct. 1. Et in Manuali cap. 4. Sotus in deliberatione de causa pauperum, & alij. Nos, per sequentes sectiones de eleemosynæ precepto, quod proprium huius loci est, prosequemur.

SECTIO I.

An sit preceptum Eleemosynæ, & quomodo obliget?

hinc con-
cludit.

Dico primò. Dare Eleemosynam, est in precepto naturali, & diuino, quod ex genere suo sub mortali obligat. Conclusio in genere est certa de fide Matth. 25. vbi damnantur homines ob huius precepti transgressionem: *Discedite in ignem æternum, esuri enim, & non dedisti mihi manducare &c.* Eccl. 18. 4. Eleemosynam pauperis ne defraudes, & infra. *Declina pauperi aurem tuam, & redde debitum tuum.* Vnde rectè Ambrosius in lib. de Nabute capite 12. *Debitum (inquit) reddis, non largiri indebitum: ideoq. tibi dicit Scriptura. Declina pauperi aurem tuam, & redde debitum tuum.* Et Nazianzenus oratione de pauperum amore latè probat eleemosynam in precepto esse, & in fine addit. *An tu benignitatem non necessarias, sed tibi liberam esse putas? ac non legem, sed consilium? Hoc quoque ipse magnopere vellem, & existimarem: Sed me sinistra illa manus terret, & hædè, & probra, quæ in scelerosos homines ab eo, à quo illic collocati sunt coniunguntur, non quia aliud quiddam ex eis, quæ interdicta sunt, admisserunt, sed quia Christum per pauperes minime curarunt.* Et Basil. concione. in illud Diuitis, *Destruam horrea mea*, Lucæ 12. Non patuit (inquit) oportere superfluum in egenos distribuere: nullam precepti habuit rationem. Ne abstineas benefacere mopi, & Eleemosyna, & fides non deserant te. Tob. 4. quarto. Et *Frangite esurienti panem tuum* Isa. 58. Ratio denique huius precepti sumitur ex 1. Ioannis 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & videt fratrem suum necessitatem habere, & clausit visceres* Suarez de Charitate.

ra sua ab eo: quomodo Charitas Dei manet in eo? Est enim hoc preceptum valde necessarium ad conseruandam Charitatem. Nam vt benè Nazianzenus citatus, misericordia erga pauperes est præcipua pars charitatis. Vnde constat etiam esse naturale: nam preceptum de dilectione proximi naturale est.

2. Sed vt vitentur extrema, aduertendum est, quosdam hæreticos voluisse preceptum hoc adesse esse necessarium, vt si illud solū seruetur, ad salutem sufficiat: nam (inquiunt) de illius transgressionem, & obseruationem iudicantur homines: quem errorem ex nonnullis locis scripturæ, vt Daniel 4. Tob. 12. Eccl. 18. 4. Lucæ 11. cum similibus, & ex Patribus confirmant: sed illum Augustinus refellit libro 21. de Ciuit. cap. 22. & sufficit locus Pauli prima ad Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum &c. Charitatem autem non habuero, nihil sum.* Vnde constat hoc preceptum esse quidem necessarium, non tamen sufficere. Iudicantur autem homines ex illo, vel quia eius opera sunt hominibus magis nota, vel quia sunt signa charitatis, vel certe, quia possent videri hominibus hæc opera minus necessaria, quam opera iustitiæ, vel similia. Reliqua testimonia intelliguntur de penis peccatorum, quæ interdum in Scriptura vocantur peccata, Secundo Machab. 12. Et indicant primò obseruationem huius precepti valere plurimum ad satisfaciendum pro peccatis. Secundo intelligitur ex eisdem testimoniis, valere hoc opus ad impetrandum à Deo gratiam ad seruanda alia precepta, quod interdum per se facit, interdum per orationes eorum, qui eleemosynam recipiunt. Tertiò indicatur, hoc opus, præcipuè si ex auxilio Dei procedat, mereri coram Deo, vt excusetur ad misericordiam, & peccatorum indulgentiam. Et in his modis exponendi sunt Sancti, qui interdum etiam per exaggerationem loquuntur, ad explicandam vim huius precepti, vt videre licet in August. epist. 89.

Error hereticorum circa eleemosynæ refellitur.)

Vide Bellar. lib. 4. de poenit. cap. 8.

3. Dico secundò. Preceptum Eleemosynæ obligat solum tempore necessitatis proximi. Est communis Theologorum, & cetera. Primò patet ex ratione precepti affirmatiui, cuius est non pro semper, sed determinatis temporibus obligare. Secundò ex obiecto huius virtutis, quod est miseria, & indigentia, at hæc necessitas non semper occurrat: ergo sine hac non potest obligare preceptum. Quod autem tunc obliget patet, quia preceptum est beneficentia erga proximum, & ad hanc non tenemur omni tempore: ergo saltem necessitatis tempore tenebimur. Dices, ergo tunc obligabunt duo precepta, charitatis, scilicet, & misericordiz, & extra illum articulum neutrum obligabit: ergo alterum est superfluum, aut certè quando illud homo omittit, peccat duplici peccato. Hoc argumentum inculcat iterum distinctionem misericordiz, & charitatis, quam propterea dixi ad moralia non multum referre, quia reuera preceptum vnius non obligat, nisi quando preceptum alterius: non tamen propterea sunt superflua, vnum enim est generale, aliud quasi speciale: sicut etiam erga Deum non obligat preceptum Religionis, quin obliget preceptum charitatis. Et circa proximum similiter nõ obligat iustitia, quin obliget Charitas, propria tamen malitia omissionis illius, censenda est contra misericordiam, quia illa specialiter obligat, charitas verò generali ratione.

Secunda conclusio

Obiectio

Solutio

4. Sed hic aduertendum est, hanc necessitatem proximi esse triplicem. Prima dicitur communis, qualis est in his pauperibus communibus. Secunda est grauis, vt quando homo ita indiget, vt sine graui detrimento honoris, aut salutis, aut bonorum fortunæ non possit subuenire sibi sine alterius auxilio. Tertia est extrema necessitas, quæ communiter in hac materia censetur solum euidentis periculum

M m 3 culum